Orationes (Latin)

Orientius (early 5th century)

SermonIndex.net / Church Fathers

Orationes

Iiii. Orationes
f Tibique, Domine, celsum Cherubim dicatum est,
et illa moles quadriformis machinae
te sempiterno confitentur carmine.
et nos imago consonantis cantici
amen sonamus, alleluia dicimus.
Te septem primi deprecantur angeli,
ceu ciuitatis septem principes uiri,
solio propinqui, ianitores proximi.
et nos imago consonantis cantici
amen sonamus, alleluia dicimus.
Te solis astrum cum sorore menstrua,
Uergiliae Iugula Uesperugo Lucifer,
omnesque guttae praemicantes inuocant.
et nos imago consonantis cantici
amen sonamus, alleluia dicimus.
Aer aquosus siue sudus inuicem,

simulque uenti pluuiae grando flumina,
ritu suomet conditorem concinunt.
et nos imago consonantis cantici
amen sonamus, alleluia dicimus.
Solum statiuum cum fertura mobili
quae paret homini, quaeque f capta de ulla,
tibi cantat ulli, conticescit ceteris.
et nos imago consonantis cantici

amen sonamus, alleluia dicimus.
Oceane, cinctam qui coerces aream
et intestini fossa media gurgitis,
deum sonantes cum marinis beluis.
et nos imago consonantis cantici

amen sonamus, alleluia dicimus.
- Infernae sedis flamma, fulua tartara,
trucesque praesidentes pariter angeli,
amen minaci decantantes carmine.
et nos imago consonantis cantici
amen sonamus, alleluia dicimus.
Postremo dico deprecandi canticum.
id facio quantum per uiginti cantica.
sed ne quis audax interpellet quippiam,
anguem magistrum falsitatis increpo,
ut non adiciat neue demat litteram.

Quod si quem laedit spiritalis lectio,
ei licebit lectionem spernere,
non commutare lectionis normulam.
anguem magistrum falsitatis increpo,
ut non adiciat neue demat litteram.
Si scriptor errat in mutanda littera,
ignarus errat; uenia Christo, t si praesto est.
nam non uoluntas, uerum dextra labitur.

anguem magistrum falsitatis increpo.
ut non adiciat neue demat litteram.
Ad illos homines interdictum pertinet,
qui uoce uera nominantur physici:
si non probatis, praeterire liberum est.
anguem magistrum falsitatis increpo,
ut non adiciat neue demat litteram.
. et nos a faece (hac) ethnicorum emersimus,

eamque tandem rupimus caliginem,
dum spiritales exaudimus angelos.
anguem ma(gistrum falsitatis increpo,
ut non adiciat neue demat litteram.)
designo sextum praecauendam spiritu
f mortis Dei prophetas instrumenta daemonum
t numa et mortis semper in saeculum.
deus sancte, te rogamus Patrem Unigeniti,

Christe Deus, te precamur uiuum Dei Filium,
sancte Christe, te obsecramus iudicem uerum Deum.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Poetae Christiani Minores*** edited by Michael Petschenig; Robinson Ellis; Georg Brandes; Karl Schenkl (Vienna, Prague, Leipzig, Tempsky, Freytag: 1888) Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum 16.1), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.